An. et vol. XCIX 7 Septembris 2007 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA BENEDICTI PP. XVI

LITTERAE DECRETALES

quibus beato Antonio a Sancta Anna Galvão de França Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Vir pacis est et caritatis ».

Hoc iudicium de beato Antonio a Sancta Anna (in saeculo: Antonio Galvão de França), in quadam epistula scriptum, quam Collegium Senatus Sancti Pauli in Brasilia misit Ministro Provinciali Franciscalium Alcantarinorum, aestimationem ostendit qua ipse fruebatur apud auctoritates et populum illius urbis. Hoc autem congruit veritati, quoniam Beatus vir Dei exstitit consiliarius prudens, pacificans animas et familias, beneficus christianae caritatis divinorumque mysteriorum administrator.

Fidelis hic sancti Francisci Assisiensis discipulus natus est in Brasilia anno MDCCXXXIX, in oppido vulgo dicto *Guaratinguetá*, quod tunc ad dioecesim Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii pertinebat, nunc vero ad archidioecesim Sancti Pauli in Brasilia. In familia christiana educatione eruditus est atque studia perfecit apud collegium-seminarium Belemense, curae Societatis Iesu creditum. Cum religiosam maturavit vocationem, anno MDCCLX novitiatum ingressus est Ordinis Fratrum Minorum Alcantarinorum in oppido vulgo *Macacu*, intra fines status civilis Fluminis Ianuarii. Inde a primis annis vitae

consecratae eminuit haud mediocri desiderio sanctitatis. Anno MDCCLXI vota religiosa nuncupavit atque insequenti anno presbyter est ordinatus. Deinde missus est in Conventum Sancti Francisci in urbe Sancti Pauli in Brasilia ut suam expleret formationem. Eodem tempore confratres adiuvabat in opere apostolico. Postea praedicator nominatus est, confessarius et ianitor conventus. Sedulo exercuit suum ministerium, excellens diligentia, qua Sacramento Reconciliationis administrando incumbebat.

Cooperante sua paenitente Sorore Helena Maria a Spiritu Sancto, anno MDCCLXXIV instituit domum vulgo appellatam « Recolhimento de Nossa Senhora da Conceicão da Luz da Divina Providencia » (hodie Monasterium Lucis), videlicet communitatem mulierum quae, cum propter leges civiles tunc vigentes vota religiosa nuncupare non possent, Deo serviebant in spiritu orationis, paenitentiae et paupertatis, ac si essent consecratae. Beatus pro viribus sese dicavit huic Operae moderandae pro qua novam sedem et ecclesiam exstruere valuit.

Anno MDCCLXXXI nominatus est Novitiorum Magister in oppido *Macacu*, sed Episcopus Sancti Pauli in Brasilia suos fideles destitui noluit servitiis quae is assidue et magnanimiter explebat, qua de causa Beatus mansit suo in loco. A Superioribus magni aestimabatur qui gravia munera ei commiserunt intra Ordinem: Guardiani nempe Conventus, Commissarii Tertii Ordinis Franciscalis, Definitoris, Visitatoris Generalis. Anno MDCCCXI Sorocabae (in statu civili Sancti Pauli in Brasilia) Recessum Sanctae Clarae condidit.

Confratres et filias spirituales aedificabat suis moribus revera exemplaribus, insignitis alacri observantia Domini mandatorum suique Ordinis Regulae atque constanti hilarique omnium virtutum exercitio. Fides, qua cunctae eius temperabantur actiones, iugiter sustinuit eum in Divini Redemptoris sequela. Deum prae omnibus diligens, cupiebat ut omnes homines eum cognoscerent eique servirent, ideoque vitam impendebat intensa opera evangelizationis totasque vires pro peccatorum conversione. Singularem manifestavit caritatem pauperibus et infirmis, suaque intercessione pacem plurimas restituit inter familias. Firmiter confidit Divinae Providentiae, in primis caelestia bona appetens. Propriam spiritualem vitam aluit oratione, devotione erga Eucharistiam, quam ardenter adorabat, quam maxima cum devotione celebrabat, erga Virginem Mariam, cui se devovit tamquam « filius et servus perpetuus ». In iuventute insuper iuravit se semper defensurum, usque ad vitae sacrificium, veritatem de Immaculata Conceptione B.V.M., quam veluti dogma multos post annos Beatus Pius IX declaravit.

Fama fruebatur prudentis et aestimati consiliarii ita ut multi adirent eum, etiam longinquis e regionibus, eius cupientes spiritualem moderationem et consolationem quaerentes. Sollicitudinem ostendit ac sensum iustitiae multis in officiis ipsi commissis suo in Ordine atque in regenda communitate quam fundaverat. Alacri et audaci animo incubuit in iura infirmorum tuenda. Tamquam verus assecla Sancti Francisci Assisiensis sobrius et simplex exstitit in vitae ratione, eminens exercitio consiliorum evangelicorum.

Postremis vitae annis, quoniam ob valetudinis condiciones itus reditus inter Conventum et Recessum suscipere non poterat, Superioribus assentientibus vitam degit apud Operam, quarti ipse condiderat. Ibi animam exhalavit die XXIII mensis Decembris anno MDCCCXXII.

Ob divulgatam sanctitatis famam anno MCMXXXVIII incohata est Causa beatificationis et canonizationis. Rite expletis rebus iure praescriptis, Veneratus Noster Decessor Servus Dei Ioannes Paulus II die XXV mensis Octobris anno MCMXCVIII sollemniter eum Beatum declaravit. Die inde XVI mensis Decembris anno MMVI promulgatum est coram Nobis Decretum de miraculo eidem ascripto. Faventibus Patribus Cardinalibus et Episcopis, in Consistorio die XXIII mensis Februarii huius anni MMVII congregatis, statuimus ut canonizationis ritus die XI insequentis mensis Maii in urbe Sancti Pauli in Brasilia celebraretur, Nostri apostolici itineris tempore.

Hodie igitur inter sacra hanc sollemniter pronuntiavimus formulam:

Em honra da Santíssima Trindade, para a exaltação da fé católica e o crescimento da vida cristã, pela autoridade de nosso Senhor Jesus Cristo, dos Santos Apóstolos Pedro e Paulo e Nossa, depois de ter refletido longamente, invocado o auxílio divino por muitas vezes e ouvido o parecer de muitos de Nossos Irmãos no Episcopado, declaramos e definimos, como Santo, o Beato Antônio de Sant'Anna Galvão e o inscrevemos na Lista dos Santos e estabelecemos que em toda a Igreja ele seja devotamente honrado entre os Santos. Em nome do Pai e do Filho e do Espírito Santo.

Deinde Ipsi Nos ferventer laudavimus novum Sanctum, extollentes virtutes et merita eius, praesertim peculiarem eius devotionem in Immaculatam Conceptionem Beatissimae Virginis Mariae nec non prudentem ac sedulam spiritualem animarum moderationem. Magnopere etiam laetati sumus de refulgente gloria eius sanctitatis, una cum tota Franciscali Familia universaque catholica Natione Brasiliensi, simulque spem vivam habemus ut valida eius intercessio lucidumque exemplum novae faveat evangelizationi unde multa Ecclesiae superna obveniant auxilia.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet officientibus.

Datum in urbe Sancti Pauli in Brasilia, die undecimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostri tertio.

EGO BENEDICTUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 39.769

II

quibus beato Philippo Smaldone Sanctorum honores decernuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Bene omnia fecit, et surdos facit audire et mutos loqui! » (*Mc* 7, 37). Verba haec, quae nostrum Dominum respiciunt, ad sacerdotem Philippum Smaldone, surdorum videlicet mutorumque apostolum bene aptantur.

Neapoli die XXVII mensis Iulii anno MDCCCXLVIII ortus est; iam clericus ad edocendos surdos incubuit. Sacerdos factus anno MDCCCLXXI, missionali incitatus ardore, in exteras missiones proficisci voluit, sed intellexit se a Domino vocatum esse ut in patria maneret atque causae surdorum prorsus se dicaret, qui perdilectum constituerunt spatium eius ministerii sacerdotalis, in quo animum intendit aliis etiam apostolatus formis, praesertim in opere catechetico, atque in publica salute.

Aestate anni MDCCCLXXXIV, cum Neapoli gravis cholerae morbus saeviret, ipsemet quoque correptus est atque in discrimine fuit vitae, sed ob singularem gratiam Virginis Sanctissimae Pompeianae convaluit. Verno tempore anni MDCCCLXXXV, adhuc convalescens, die XXV mensis Martii, in festivitate videlicet Annuntiationis, Lyciam est translatus ut institutum pro accipiendis surdis mutisque conderet atque, eodem tempore, fundationem ad finem adduceret Instituti Sororum Salesianarum Sacrorum Cordium curae educationique surdorum mutorumque intentarum.

Triginta et octo annos Lyciensi in urbe est operatus in provincia educationis plurimorum puerorum puellarumque surdorum, caecorum et parentibus orbatorum. Institutum simul consolidavit auxitque, quod radices etiam Barii posuit atque aliis in australibus regionibus. Lyciae diligentem etiam fautorem se praebuit pastoralis industriae. Confessarius exstitit et moderator spiritalis seminarii tironum, sacerdotum, religiosarum communitatum; magno zelo adorationem propagavit eucharisticam; operae praefuit missionum popularium in paroeciis extra urbem.

Peculiarem excitavit admirationem ob singulares dotes sacerdotis et fundatoris simplicis et humilis, laboriosi et modesti, perquam devoti Eucha-

ristiae et Virginis Pompeianae. Benignus omnino fuit erga sorores Salesianas et singulari modo paternus erga surdos et mutos, quos veluti filios amabat et ab iis « pater » appellabatur.

Plurimis superatis angustiis, tum physicis cum moralibus, quas mira passus est animi serenitate, Lyciae die IV mensis Iunii anno MCMXXIII obiit, latam relinquens virtutis et sanctitatis famam.

Annis MCMLXIV-MCMLXVII processus est institutus Ordinarius Informativus de sanctitatis fama deque virtutibus. Actis impletis iuris apud Congregationem de Causis Sanctorum necessariis, Ioannes Paulus PP. II die XI mensis Iulii anno MCMXCV agnovit illum virtutes heroicum in modum exercuisse. Die XII mensis Ianuarii anno MCMXCVI, facto examine medico et theologico in iure canonico praeviso, miraculum approbavit intercessioni eiusdem attributum. Die XII mensis Maii anno MCMXCVI inter beatos hunc Servum Dei recensuit.

Considerata coniecta sanatione sororis cuiusdam Salesianae Sacrorum Cordium, intercessioni attributa Philippi Smaldone post eius beatificationem, anno MCMXCIX apud Curiam Lyciensem Dioecesana est instituta Inquisitio super Miro. In examine Consilii Medicorum die III mensis Februarii anno MMV sanatio ex scientiae legibus inexplicabilis est iudicata. Post Congressum Peculiarem Theologorum die XVII sequentis mensis Maii, atque post Sessionem Ordinariam Patrum Cardinalium et Episcoporum die XVII mensis Ianuarii anno MMVI, Nosmet Ipsi die XXVIII mensis Aprilis Decretum promulgavimus super Miro atque Publico in Consistorio die post I mensis Iulii eiusdem anni decrevimus ut Canonizationis ritus die XV mensis Octobris anno MMVI perageretur.

Hodie igitur in foro ante Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc protulimus formulam:

« Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Raphaelem Guízar Valencia, Philippum Smaldone, Rosam Venerini et Theodoram Guérin Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die quinto decimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo sexto, Pontificatus Nostri altero.

EGO BENEDICTUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 54.028

LITTERAE APOSTOLICAE «MOTU PROPRIO» DATAE

I

De aliquibus mutationibus in normis de electione Romani Pontificis.

BENEDICTI XVI

SERVO DEI SERVI DI DIO

A PERPETUA MEMORIA

Constitutione apostolica *Universi Dominici gregis*, die XXII Februarii anno MCMXCVI promulgata,[1] Venerabilis Decessor Noster Ioannes Paulus II, nonnullas immutationes induxit in normas canonicas servandas pro electione Romani Pontificis a Paulo VI, felicis recordationis, statutas.[2]

In numero septuagesimo quinto memoratae Constitutionis statutum est ut exhaustis incassum omnibus suffragationibus, iuxta normas statutas peractis, in quibus ad validam electionem Romani Pontificis duae ex tribus partes suffragiorum omnium praesentium requiruntur, Cardinalis Camerarius Cardinales electores consulat de modo procedendi, atque agetur prout eorum maior absoluta pars decreverit, servata tamen ratione ut electio valida evadat aut maiore absoluta parte suffragiorum aut duo nomina tantum suffragando, quae in superiore scrutinio maiorem suffragiorum partem obtinuerunt, dum hoc quoque in casu sola maior absoluta pars requirebatur.

Post promulgatam vero laudatam Constitutionem, haud paucae petitiones, auctoritate insignes, ad Ioannem Paulum II pervenerunt, sollicitantes ut norma traditione sancita restitueretur, secundum quam Romanus Pontifex valide electus non haberetur nisi duas ex tribus partes suffragiorum Cardinalium electorum praesentium obtinuisset.

Nos igitur, quaestione attente perpensa, statuimus ac decernimus ut, abrogatis normis quae in numero septuagesimo quinto Constitutionis Apos-

[1] IOANNES PAULUS II, Constitutio apostolica *Universi Dominici gregis*, 22 februarii 1996, in *AAS* 88 (1996) 305-343.

[2] PAULUS VI, Constitutio apostolica *Romano Pontifici eligendo*, 1 octobris 1975: *AAS* 67 (1975) 605-645.

tolicae *Universi Dominici gregis* Ioannis Pauli II praescribuntur, hae substituantur normae quae sequuntur:

Si scrutinia de quibus in numeris septuagesimo secundo, tertio et quarto memoratae Constitutionis incassum reciderint, habeatur unus dies orationi, reflexioni et dialogo dicatus; in subsequentibus vero suffragationibus, servato ordine in numero septuagesimo quarto eiusdem Constitutionis statuto, vocem passivam habebunt tantummodo duo nomina quae in superiore scrutinio maiorem numerum suffragiorum obtinuerunt, nec recedatur a ratione ut etiam in his suffragationibus maioritas qualificata suffragiorum Cardinalium praesentium ad validitatem electionis requiratur. In his autem suffragationibus, duo nomina quae vocem passivam habent, voce activa carent.

Hoc documentum cum in *L'Osservatore Romano* evulgabitur statim vigere incipiet. Haec decernimus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XI mensis Iunii, anno MMVII, Pontificatus nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

II

De usu extraordinario antiquae formae Ritus Romani.

Summorum Pontificum cura ad hoc tempus usque semper fuit, ut Christi Ecclesia Divinae Maiestati cultum dignum offerret, «ad laudem et gloriam nominis Sui» et «ad utilitatem totius Ecclesiae Suae sanctae».

Ab immemorabili tempore sicut etiam in futurum, principium servandum est «iuxta quod unaquaeque Ecclesia particularis concordare debet cum universali Ecclesia non solum quoad fidei doctrinam et signa sacramentalia, sed etiam quoad usus universaliter acceptos ab apostolica et continua traditione, qui servandi sunt non solum ut errores vitentur, verum etiam ad fidei integritatem tradendam, quia Ecclesiae lex orandi eius legi credendi respondet».[1]

Inter Pontifices qui talem debitam curam adhibuerunt, nomen excellit sancti Gregorii Magni, qui tam fidem catholicam quam thesauros cultus ac culturae a Romanis in saeculis praecedentibus cumulatos novis Europae po-

[1] *Institutio generalis Missalis Romani,* Editio tertia, 2002, 397.

pulis transmittendos curavit. Sacrae Liturgiae tam Missae Sacrificii quam Officii Divini formam, uti in Urbe celebrabatur, definiri conservarique iussit. Monachos quoque et moniales maxime fovit, qui sub Regula sancti Benedicti militantes, ubique simul cum Evangelii annuntiatione illam quoque saluberrimam Regulae sententiam vita sua illustrarunt, « ut operi Dei nihil praeponatur » (cap. 43). Tali modo sacra liturgia secundum morem Romanum non solum fidem et pietatem sed et culturam multarum gentium fecundavit. Constat utique liturgiam Latinam variis suis formis Ecclesiae in omnibus aetatis christianae saeculis permultos Sanctos in vita spirituali stimulasse atque tot populos in religionis virtute roborasse ac eorundem pietatem fecundasse.

Ut autem Sacra Liturgia hoc munus efficacius expleret, plures alii Romani Pontifices decursu saeculorum peculiarem sollicitudinem impenderunt, inter quos eminet Sanctus Pius V, qui magno cum studio pastorali, Concilio Tridentino exhortante, totum Ecclesiae cultum innovavit, librorum liturgicorum emendatorum et « ad normam Patrum instauratorum » editionem curavit eosque Ecclesiae Latinae usui dedit.

Inter Ritus Romani libros liturgicos patet eminere Missale Romanum, quod in Romana urbe succrevit, atque succedentibus saeculis gradatim formas assumpsit, quae cum illa in generationibus recentioribus vigente magnam habent similitudinem.

« Quod idem omnino propositum tempore progrediente Pontifices Romani sunt persecuti, cum novas ad aetates accommodaverunt aut ritus librosque liturgicos determinaverunt, ac deinde cum ineunte hoc nostro saeculo ampliorem iam complexi sunt redintegrationem ».[2] Sic vero egerunt Decessores nostri Clemens VIII, Urbanus VIII, sanctus Pius X,[3] Benedictus XV, Pius XII et beatus Ioannes XXIII.

Recentioribus autem temporibus, Concilium Vaticanum II desiderium expressit, ut debita observantia et reverentia erga cultum divinum denuo instauraretur ac necessitatibus nostrae aetatis aptaretur. Quo desiderio motus, Decessor noster Summus Pontifex Paulus VI libros liturgicos instauratos et partim innovatos anno 1970 Ecclesiae Latinae approbavit; qui ubique terrarum permultas in linguas vulgares conversi, ab Episcopis atque a sacerdotibus et fidelibus libenter recepti sunt. Ioannes Paulus II, tertiam editio-

[2] Ioannes Paulus PP. II, Litt. ap. *Vicesimus quintus annus* (4 Decembris 1988), 3: *AAS* 81 (1989), 899.

[3] *Ibid.*

nem typicam Missalis Romani recognovit. Sic Romani Pontifices operati sunt ut « hoc quasi aedificium liturgicum [...] rursus, dignitate splendidum et concinnitate » appareret.[4]

Aliquibus autem in regionibus haud pauci fideles antecedentibus formis liturgicis, quae eorum culturam et spiritum tam profunde imbuerant, tanto amore et affectu adhaeserunt et adhaerere pergunt, ut Summus Pontifex Ioannes Paulus II, horum fidelium pastorali cura motus, anno 1984 speciali Indulto « Quattuor abhinc annos », a Congregatione pro Cultu Divino exarato, facultatem concesserit utendi Missali Romano a beato Ioanne XXIII anno 1962 edito; anno autem 1988 Ioannes Paulus II iterum, litteris Apostolicis « Ecclesia Dei » Motu proprio datis, Episcopos exhortatus est ut talem facultatem late et generose in favorem omnium fidelium id petentium adhiberent.

Instantibus precibus horum fidelium iam a Praedecessore Nostro Ioanne Paulo II diu perpensis, auditis etiam a Nobis Patribus Cardinalibus in Consistorio die XXIII mensis Martii anni 2006 habito, omnibus mature perpensis, invocato Spiritu Sancto et Dei freti auxilio, praesentibus Litteris Apostolicis DECERNIMUS quae sequuntur:

Art. 1. Missale Romanum a Paulo VI promulgatum ordinaria expressio « Legis orandi » Ecclesiae catholicae ritus Latini est. Missale autem Romanum a S. Pio V promulgatum et a beato Ioanne XXIII denuo editum habeatur uti extraordinaria expressio eiusdem « Legis orandi » Ecclesiae et ob venerabilem et antiquum eius usum debito gaudeat honore. Hae duae expressiones « legis orandi » Ecclesiae, minime vero inducent in divisionem « legis credendi » Ecclesiae; sunt enim duo usus unici ritus Romani.

Proinde Missae Sacrificium, iuxta editionem typicam Missalis Romani a beato Ioanne XXIII anno 1962 promulgatam et numquam abrogatam, uti formam extraordinariam Liturgiae Ecclesiae, celebrare licet. Condiciones vero a documentis antecedentibus « Quattuor abhinc annos » et « Ecclesia Dei » pro usu huius Missalis statutae, substituuntur ut sequitur:

Art. 2. In Missis sine populo celebratis, quilibet sacerdos catholicus ritus Latini, sive saecularis sive religiosus, uti potest aut Missali Romano a beato Papa Ioanne XXIII anno 1962 edito, aut Missali Romano a Summo Pontifice Paulo VI anno 1970 promulgato, et quidem qualibet die, excepto Triduo

[4] S. Pius PP. X, Litt. Ap. Motu proprio datae *Abhinc duos annos* (23 Octobris 1913): *AAS* 5 (1913), 449-450; cfr Ioannes Paulus II, Litt. ap. *Vicesimus quintus annus* (4 Decembris 1988), 3: *AAS* 81 (1989), 899.

Sacro. Ad talem celebrationem secundum unum alterumve Missale, sacerdos nulla eget licentia, nec Sedis Apostolicae nec Ordinarii sui.

Art. 3. Si communitates Institutorum vitae consecratae atque Societatum vitae apostolicae iuris sive pontificii sive dioecesani quae in celebratione conventuali seu «communitatis» in oratoriis propriis celebrationem sanctae Missae iuxta editionem Missalis Romani anno 1962 promulgatam habere cupiunt, id eis licet. Si singula communitas aut totum Institutum vel Societas tales celebrationes saepe vel habitualiter vel permanenter perficere vult, res a Superioribus maioribus ad normam iuris et secundum leges et statuta particularia decernatur.

Art. 4. Ad celebrationes sanctae Missae de quibus supra in art. 2 admitti possunt, servatis de iure servandis, etiam christifideles qui sua sponte id petunt.

Art. 5, § 1. In paroeciis, ubi coetus fidelium traditioni liturgicae antecedenti adhaerentium stabiliter exsistit, parochus eorum petitiones ad celebrandam sanctam Missam iuxta ritum Missalis Romani anno 1962 editi, libenter suscipiat. Ipse videat ut harmonice concordetur bonum horum fidelium cum ordinaria paroeciae pastorali cura, sub Episcopi regimine ad normam canonis 392, discordiam vitando et totius Ecclesiae unitatem fovendo.

§ 2. Celebratio secundum Missale beati Ioannis XXIII locum habere potest diebus ferialibus; dominicis autem et festis una etiam celebratio huiusmodi fieri potest.

§ 3. Fidelibus seu sacerdotibus id petentibus, parochus celebrationes, hac in forma extraordinaria, permittat etiam in adiunctis peculiaribus, uti sunt matrimonia, exsequiae aut celebrationes occasionales, verbi gratia peregrinationes.

§ 4. Sacerdotes Missali beati Ioannis XXIII utentes, idonei esse debent ac iure non impediti.

§ 5. In ecclesiis, quae non sunt nec paroeciales nec conventuales, Rectoris ecclesiae est concedere licentiam de qua supra.

Art. 6. In Missis iuxta Missale beati Ioannis XXIII celebratis cum populo, Lectiones proclamari possunt etiam lingua vernacula, utendo editionibus ab Apostolica Sede recognitis.

Art. 7. Ubi aliquis coetus fidelium laicorum, de quo in art. 5 § 1 petitam a parocho licentiam non obtinuerit, de re certiorem faciat Episcopum dioecesanum. Episcopus enixe rogatur ut eorum optatum exaudiat. Si ille ad huius-

modi celebrationem providere non vult res ad Pontificiam Commissionem « Ecclesia Dei » referatur.

Art. 8. Episcopus, qui vult providere huiusmodi petitionibus christifidelium laicorum, sed ob varias causas impeditur, rem Pontificiae Commissioni « Ecclesia Dei » committere potest, quae ei consilium et auxilium dabit.

Art. 9, § 1. Parochus item, omnibus bene perpensis, licentiam concedere potest utendi rituali antiquiore in administrandis sacramentis Baptismatis, Matrimonii, Paenitentiae et Unctionis Infirmorum, bono animarum id suadente.

§ 2. Ordinariis autem facultas conceditur celebrandi Confirmationis sacramentum utendo Pontificali Romano antiquo, bono animarum id suadente.

§ 3. Fas est clericis in sacris constitutis uti etiam Breviario Romano a beato Ioanne XXIII anno 1962 promulgato.

Art. 10. Fas est Ordinario loci, si opportunum iudicaverit, paroeciam personalem ad normam canonis 518 pro celebrationibus iuxta formam antiquiorem ritus Romani erigere aut rectorem vel cappellanum nominare, servatis de iure servandis.

Art. 11. Pontificia Commissio « Ecclesia Dei » a Ioanne Paulo II anno 1988 erecta,[5] munus suum adimplere pergit.

Quae Commissio formam, officia et normas agendi habeat, quae Romanus Pontifex ipsi attribuere voluerit.

Art. 12. Eadem Commissio, ultra facultates quibus iam gaudet, auctoritatem Sanctae Sedis exercebit, vigilando de observantia et applicatione harum dispositionum.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris Apostolicis Motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse et a die decima quarta Septembris huius anni, in festo Exaltationis Sanctae Crucis, servari iubemus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septima mensis Iulii, anno Domini MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

[5] Cfr Ioannes Paulus PP. II, Litt. ap. Motu proprio datae *Ecclesia Dei* (2 Iulii 1988), 6: *AAS* 80 (1988), 1498.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

RIVIANGULANENSIS-LABRADORENSIS

In Canada constituitur dioecesis Riviangulanensis-Labradorensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Evangelica diligentia quacum munus Successoris Petri unoquoque die explere conamur, in praesens Nos impellit ut singularem attentionem ad Ecclesiam quae est in Canada vertamus. Fidelium istius Nationis spiritale iter vario modo iuvantes, de quarundam dioecesium unione deque nominis mutatione cogitavimus. Idcirco plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, de consilio Congregationis pro Episcopis et Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audita etiam Conferentia Episcoporum Canadae et praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Aloisii Ventura, Archiepiscopi titularis Equiliensis et in Canada Apostolici Nuntii, a dioecesi Labradorpolitana-Scheffervillensi integrum distrahimus territorium municipiorum vulgo dictorum « Black Tickle », « Churchill Falls », « Happy Valley-Goos Bay », « Labrador City », « Natuashish », « Sheshatshiu », « Wabush » et « West St. Modeste » idque dioecesi Sancti Georgii Terrae Novae assignamus quae posthac novo nomine *Riviangulanensi-Labradorensi* appellabitur. Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v. d. « Corner Brooke » statuimus templumque ibidem exstans Sanctissimo Salvatori et Immaculatae Virgini Mariae dicatum, gradum servabit templi Cathedralis, cum suo Capitulo cathedrali quod unicum habebitur. Dioecesim Riviangulanensem-Labradorensem iurisdictioni Congregationis pro Episcopis subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Novae ecclesiasticae circumscriptionis regimini praeesse perget Venerabilis Frater Duglasius Crosby, O.M.I., Episcopus Labradorpolitanus-Scheffervillensis et hactenus Sancti Georgii Terrae Novae, cuius erit ut inita provisio, recte intellecta quoad veram suam significationem, ab omnibus sereno animo ac prompte accipiatur. Ad haec tandem explenda, quae per

has Litteras statuimus, iam memoratum Venerabilem Fratrem Aloisium Ventura deputamus vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Canada gestorem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus expletae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et tricesimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostri tertio.

Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

✠ Ioannes B. card. Re
Congr. pro Episc. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 63.717

II

Nuntiaturae Apostolicae Burkinae Fasanae et Nigris nova sedes in urbe Uagaduguensi conditur.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Burkinae Fasanae et Nigris fideles precibus Nostris prosequimur singularique sane cura, ut Deo iuvante eximios fidei cotidianique christiani itineris fructus edere possint. Eodem tempore non sine laetitia asseveramus publicas necessitudinis rationes inter Sedem Apostolicam et Nigrim iam ab anno MCMLXXI, nec non inter Sedem Apostolicam et Burkinam Fasanam ab anno MCMLXXIII feliciter vigere et prosperare. Nunc quidem, maiori etiam spiritali bono fidelium ibi commorantium prospicientes, audita Congregatione pro

Gentium Evangelizatione, summa Nostra potestate, harum Litterarum virtute Nuntiaturae Apostolicae Burkinae Fasanae et Nigris novam sedem in urbe Uagaduguensi, in Burkina Fasana, constituimus, factis iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et indultis, quae huiusmodi Legationum ad normam iuris propria sunt.

Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Iunii, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

IVAN card. DIAZ
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 64.127/P

III

SANDAKANENSIS

In Malaesia nova conditur dioecesis Sandakanensis appellanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Missionalem per navitatem Deus piene glorificatur, dum homines salutare Eius opus, quod in Christo perfecit, conscie et plene accipiunt (cfr *Ad Gentes divinitus,* 7). Haec Concilii Oecumenici Vaticani II verba in praesens Nos impellunt ut singularem vertamus mentem ad fideles in Malaesia degentes quos Nos precibus comitamur divina adiumenta a Domino nostro iis efflagitantes. Eorum denique spiritales perspicientes necessitates, de nova cogitavimus dioecesi ibi instituenda. Idcirco quorum interest cognita sententia, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, partem orientalem territorii dioecesis Kotakinabaluensis distrahimus, ex qua novam dioecesim appellandam S*andakanensem*

erigimus. Limites novae dioecesis finibus constituuntur territorii civilis v.d. « Sandakan » et « Tawau ». Novae ecclesialis communitatis sedem in urbe v.d. « Sandakan » statuimus templumque ibidem exstans, Deo in honorem Sanctae Mariae dicatum, ad gradum evehimus templi Cathedralis, cunctis consentaneis concessis iuribus et privilegiis. Dioecesim Sandakanensem Metropolitanae Ecclesiae Kuchingensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Ad haec tandem explenda, quae per has Litteras statuimus, Venerabilem Fratrem Salvatorem Pennacchio, Archiepiscopum titulo Montis Marani et Apostolicum Delegatum in Malaesia, deputamus, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Iulii, anno Domini bismillesimo septimo, Pontificatus Nostri tertio.

Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Ivan card. Dias
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 63.872

IV

NIAMEYENSIS

In Nigritana Natione constituitur nova Provincia Ecclesiastica Niameyensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

BENEDICTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Ecclesia Catholica in Nigri haud parva incrementa passim suscepisset, ut ipsis Episcopis, sacerdotibus, religiosis viris atque mulieribus et

Christifidelibus ibi operose adlaborantibus meritae tribueretur testimonium laudis eorumque animi incitentur ad novos maioresque in dies exantlandos labores necnon ut ipsa Ecclesia firmius constabiliretur, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque pariter eorum, quorum interest, votis, censuit nuper novam Provinciam Ecclesiasticam ibidem esse condendam. Nos vero de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate in Nigri constituimus novam Provinciam Ecclesiasticam Niameyensem efformatam dioecesi Niameyensi, quam ad gradum Archidioecesis Metropolitanae evehimus, et dioecesi Maradensi, quae suffraganea erit. Insuper Venerabilem Fratrem Michaëlem Christianum Cartatéguy, S.M.A., Episcopum Niameyensem, Archiepiscopum Metropolitam eiusdem nominamus. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Vito Rallo, Archiepiscopo titulo Albensi atque Apostolico Nuntio in Burkina Fasana et in Nigri, onere imposito sincerum exemplar actus effectae exsecutionis memoratae Congregationi mittendi. Hanc denique Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesima quinta mensis Iunii, anno Domini bis millesimo septimo, Pontificatus Nostri septimo.

Tharsicius card. Bertone
Secretarius Status

Ivan card. Dias
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Emmanuel Fernandez, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 63.547

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Francisco Spoto caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Domine, meam accipe at Sodalium serva vitam ».

Suae vitae tempore, quam usque ad quadragesimum annum produxit, mansuetudinem cum fortitudine, patientiam cum comitate, constantiam cum humanitate, doctrinam cum simplicitate Dei Servus Franciscus Spoto coniunxit. Morti occurrit, Dei voluntatis mysterio incomprehensibili adorabilique fisus et ipso Iesu oboedientiae imbutus spiritu usque ad crucis mortem (cfr *Philp* 2, 8).

Die VIII mensis Iulii anno MCMXXIV *Raffadali* in oppido (Agrigenti) ex modica agricolarum familia, quae religionem tamen, moralem, fidem colebat, ortus, XII annos natus Seminarium Congregationis Missionariorum Servorum Pauperum est ingressus, quam Iacobus Cusmano, « caritatis sine terminis » apostolus, condiderat, qui ex « eucharistica buccella » ad Operam agendam incitatus est « Pauperis Buccellae ». Hinc eius iter incohavit in Domini Vultum, breve quidem, sed fulgidum.

Sacerdos anno MCMLI, Superior Generalis anno MCMLIX est factus. Eo moderante, honore sodaliumque numero crevit Congregatio. Cum peculiarem in modum missionalem operam curaret, anno MCMLXIV ad novensilem Afram missionem profectus est, ubi sodales terrae v. d. *Congo* propter bellum in magno periculo versabantur atque pluries prope fuerunt ut caperentur.

Pater Spoto ac tres sodales, a seditiosis petiti, qui iam Missionem vastaverant vasaque sacra foedaverant, die XI mensis Decembris anno MCMLXIV vesperi Ugandenses fines attingere contenderunt. At a « Simba » ut aiunt, id est a Leonibus, scilicet iuvenibus bellatoribus « Lumumbanis », sunt arrepti. Pater Spoto captus est ac saeve percussus, cum sodales abscondebantur. His plagis acceptis ac debilitato corpore, brevi ad mortem pervenit.

Duo aggredientes in eum saevierant, eo quod unus erat religiosus, quem iam diu conquisiverant. Pater Spoto aggredientibus ignovit atque suam vi-

tam Domino obtulit, qui eius donationem accepit. Sodales namque sese servarunt atque in patriam redierunt.

Dei Servus mortem veluti «sororem» accepit, quandoquidem sanctam castamque elegerat paupertatem, omnibus rebus exutus antequam ad Afram oram appelleret.

Pater hic suum ministerium fastigium quoddam attingendum putabat, veluti sacerdotalis operae ad sanctitatem imaginem, quam conscius prorsus usque ad finem tenuit.

Firmus, animosus, actuosus, gentium Apostolum, S. Paulum, suum habuit exemplar, sed eius vitae spiritalis firmamentum fuit Christus. «Cotidianum presbyteri officium – in quadam contione scripsit – interior vita est, crescens videlicet cum aeterno Sacerdote coniunctio, quae per ascesim contemplationemque fit, Spiritu Sancto agente, qui silenter suam personam effingit».

Dei Servus tamquam aridum camini lignum insumptus est, ut illum illuminaret, qui Christi luce nondum erat collustratus. Eius suprema oblatio haud inanis evasit atque eius innocens sanguis glebas perfudit illius Africae loci, unde uberes fructus gignerentur.

Eius martyrii nuntius per manus duorum Congensium in odium fidei facti una cum sanctitatis fama late est diffusus atque Siciliam attigit. Etenim Panormi Archiepiscopus Salvator Cardinalis Pappalardo, recolendae memoriae, die XVI mensis Decembris anno MCMXCII dioecesanam inquisitionem incohavit. Die XXVI mensis Iunii anno MMVI Nostra comprobatione decretum super martyrio prodiit. Statuimus exinde ut beatificationis ritus Panormi die XXI mensis Aprilis anno MMVII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Salvator S.R.E. Cardinalis De Giorgi, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servum Dei Franciscum Spoto adscribimus.

Nos, vota Fratris Nostri Pauli Romeo, Archiepiscopi Panormitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Franciscus Spoto, presbyter et martyr, de Congregatione Missionariorum Servorum Pauperum qui, fidei testimonium perhibens, vitam suam pro Christo obtulit, Beati nomine in posterum appelletur, eiusque festum die vicesima quarta Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Tantam huius spectabilis viri admirantes heroicam pro Domini amore alacritatem miraque fidei exempla, in adiutorium totius Ecclesiae patrocinium eius invocavimus, hortantes simul omnes christifideles ad christianas virtutes, praesertim fidem et bonis in operibus explendis constantiam, pie imitandas.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Aprilis, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 55.906

II

Venerabili Dei Servae Mariae Rosae a Iesu Pellesi caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Infirmitas haec non est ad mortem sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam » (*Io* 11, 4).

Quod vicit per crucem resurrectionemque Christus mortem peccatumque, infirmitates non sunt exstinctae, at in eas nova Boni Nuntii lux illata est. Cum vero homines per dolores redimeret, Divinus Magister singulis hominibus copiam dedit per proprios dolores redemptionis operam participandi (cfr IOANNES PAULUS II, Litt. Ap. *Salvifici Doloris,* nn. 15, 19). Id mirabiliter patravit Dei Serva Maria Rosa a Iesu, in saec. Bruna Pellesi, quae gravi acerboque correpta morbo, instrumentum quoddam suam putavit infirmitatem artius usque cum Christo Domino coniungendi.

Fidelis haec Evangelii testis Morani Prignani dioecesis Regiensis in Aemilia die XI mensis Novembris anno MCMXVII orta est. Iuvenis quasdam neptes coluit, quae matrem amiserunt atque Actioni Catholicae nomen dedit. Cum

se a Domino vocari animadverteret, anno MCMXL Ariminense claustrum est ingressa Sororum Tertii Ordinis Franciscalium sancti Onuphrii, quem Dei Serva Faustina Zavagli, religioso nomine Maria Teresia a Iesu Crucifixo appellata, condiderat. Anno MCMXLII temporalia vota nuncupavit eique docendi infantes munus commissum est, quod magno studio comitateque sustinuit.

Phthisi anno MCMXLV correpta, ad Ferrariense sanctae Annae valetudinarium est delata, deindeque ad alia curationis loca. Anno MCMXLVII, cum eius valetudo in peius verteret, in antecessum perpetua vota nuncupare sita est. Tres peregrinationes Lauretum fecit unamque Lapurdum, spiritale sumens beneficium. Anno MCMLV votum nuncupavit Dei voluntati sese tradendi. Haud bona ingravescens valetudo ei magis usque praebebat solitudinem. Licet adesset haec, precatione, dolorum oblatione atque comi dilectione fraterna sui Instituti cum sororibus ea coniungebatur.

Anno MCMLXIX Speciali Capitulo novum nomen proposuit suae Congregationis, quod est « Sororum Franciscanarum Missionariarum Christi », quodque est susceptum.

Eius crucifixionis veluti signum in carne XVII annos acus cannulaeque fragmentum, per errorem effectum, mansit. Sui oblita, cotidianam crucem amabiliter, fortiter, laetanter baiulavit, usque dum sanctitatem attingeret, cui semper studuit. Constanter laetanterque vera Dei femina christianas virtutes, caritatem potissimum et humilitatem exercuit consiliaque evangelica tenuit. Ex valetudinarii lecto insignem fidem est testata, quae eam in aerumnis sustinuit eique vim tribuit omni tempore in Dominum amorem inque fratres ostendendi. Cotidie se Christo tradidit, cui se totam devoverat. Effari solebat: « Me totam trado, me totam Iesu devoveo. Ei confido. Eum adamo ». Laeta graves dolores suscepit, quos donum caelitus datum putavit. Dixit enim: « Valetudinarii vitam flens incohavi, sed a Deo postulavi, ut eam ad finem adducerem eius misericordiam canendo, atque animadverto me auditum iri ».

Spe nempe sustentata, suum ad Sponsum adire cupiebat, praemium adeptura Eius amicis destinatum. Amabilis cum sororibus fuit atque cum iis qui eam curabant necnon cum ceteris infirmis, quos comiter studioseque convenire solebat, quosque fovebat et ad christianam pietatem Sacramentaque cohortabatur.

Per assiduam orationem, in Eucharistiam Virginemque Matrem devotionem, sui Instituti Regulae pro sua condicione observantiam, evangelicorum

consiliorum usum, artius usque cum Domino coniungebatur, qui ad Se eam assimilavit.

Fecundum suo cum spiritali moderatore, superioribus, sororibus, familiaribus iisque quae valetudinarium reliquerant, habuit epistularum commercium. Epistulae hae amore in Dominum ac personarum observantia scatent, in quibus naturaliter ac subtiliter enuntiata pacis verba, spiritalia consilia reperiuntur.

Mense Novembri anno MCMLXXII, maxime ingravescente morbo, ad Saxulensem communitatem est translata. Ibidem doloribus confecta, submissa voce dixit: « Illud interest ut Dominus ametur. Laeta in dilectione morior. Laeta quidem sum quia omnes diligo ». Kalendis Decembribus tranquille de hoc mundo demigravit.

Eius latam propter sanctitatis famam, Regiensis in Aemilia Episcopus anno MCMLXXXII beatificationis canonizationisque causam per dioecesanam Inquisitionem incohavit. His absolutis rebus iure statutis, decreta, die I mensis Iulii anno MM de virtutibus heroum in modum exercitis, de miraculo vero, eiusdem intercessioni adscripto, die XXVI mensis Iunii anno MMVI, prodierunt. Statuimus igitur ut beatificationis ritus Arimini die XXIX mensis Aprilis anno MMVII celebraretur.

Hodie igitur de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Iosephus S.R.E. Cardinalis Saraiva Martins, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos in Beatorum numerum Venerabilem Servam Dei Mariam Rosam Pellesi adscribimus.

Nos, vota Fratris Nostri Mariani De Nicolò, Episcopi Ariminensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Maria Rosa a Iesu, in saeculo Bruna Pellesi, virgo, sodalis Congregationis Sororum Franciscanarum Missionariarum Christi, quae Domino Iesu pauperi et crucifixo coniuncta ex dolore suo canticum fecit amoris in Sanctissimam Trinitatem laetamque oblationem pro humano genere, Beatae nomine in posterum appelletur, eiusque festum die prima Decembris, qua in caelum est nata, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Haec vero quae hodie statuimus firma usquequaque esse volumus ac valida fore iubemus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Aprilis, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
THARSICIUS card. BERTONE
Secretarius Status

Loco ✠ Sigilli
In Secret. Status tab., n. 46.056

III

Venerabili Dei Servo Aloisio Boccardo caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

BENEDICTUS PP. XVI

Ad perpetuam rei memoriam. — « Iesu, Tibi me trado meque dono, me offero ut purum holocautoma sim amoris, me dono ut me ad tuam voluntatem utaris ».

Hoc fuit Aloisii Boccardo propositum, qui Iesu Christi semitas tenens, Eius in Corde sauciato suae vocationis sensum repperit, Dei misericordiam per continuatum fervensque ad sanctitatem iter cum diffunderet.

Dignus hic Ecclesiae minister apud Montem Calerium, archidioecesis Taurinensis, die IX mensis Augusti anno MDCCCLXI septimus ex decem liberis Casparis et Iosephae Malerba parentum, ferventium ex modico sociali ordine christianorum, natus est.

